



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

De causa reprobationis in adultis verior opinio. c. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Ad Titum 1. non dicitur reprobos, qui à regno coelorum, & à gratia Dei eiectionis, & repulsi sunt, sed idem est, reprobos, quod improbos. Græce enim est ἀδόκιμος, quod improbum quoque significat. Imo vox reprobos, apud Latinos frequentius in hac significatione usurpatur. Ponitur etiam 2. ad Corinth. 13. sed in hac significatione potius capi videtur. Quod si in his locis intelligamus reprobos in ea significatione, de qua nunc disputamus, an ex illis colligatur, dari causam reprobationis, nec ne: seq. cap. dicemus. Verbum autem Latinum *Reprobo*, denotat improbare, aut reicere aliquid; in qua significatione in Scriptura frequentius usurpatur Marc. 8. Luc. 9. & 17. & 1. ad Corinth. 1. in quo posteriori loco, si alicubi, in hac ponitur significatione. Sed, an ex illo colligere possimus causam aliquam reprobationis, eodem capite seq. dicendum est.

Demum Aug. & ceteri Patres, nomine *Reprobatio*, aut verbo, *Reprobo*, non vtuntur: semel in Aug. vocem *Reprobos*, inueni, in quo autem sensu, & an illius assignet causam, postea explicandum est. Opponunt autem Aug. & alii Patres prædestinationi ad vitam æternam, prædestinationem ad mortem secundam, electioni autem ad gratiam, derelictionem in massa perditionis. Eos vero, qui in massa relinquuntur, nec misericordia Dei ab ea separantur, dicit August. à Deo deseri, & illorum Deum non misereri.

CAPVT V.

De causa reprobationis in adultis,
verior opinio.

*C*um bona pars huius controuersie sit de voce, facile erit iuxta ea, quæ nota sunt, præmissa quadam distinctione, sententiam veriorē, & testimonis Scripturæ, atque Patribus magis conformem pronunciare. Cum autem reprobatio tam sit paruulorum, quam adultorum; nec sit eadem utrorumque ratio; maioris claritatis gratia placuit de adultis solum in hoc capite, in sequenti vero de paruulis disserere. Quia ergo reprobare idem est, quod improbare aliquem, atque reicere si reprobatio usurpetur pro actu, quo quis reicitur à Deo, hac distinctione opus est. Aut loquimur de actu, quo quis reicitur à gratia Dei, aut quo reicitur à regno coelorum. Si de priori sermo sit, asserendum est, nullam causam ex parte eius, qui reicitur esse præter peccatum primi parentis. Intelligendum autem est de prima negatione gratiæ, & vocationis congruæ, qua reicitur homo à gratia prædestinatorum, ita tamen vt neminem Deus reiciat à gratia sua ea intentione, vt à regno quoque coelorum ipsum excludat. Nam ex tali intentione sequeretur, Deum ab æterno ante negationem gratiæ congruæ, & ante præuisa peccata aliquem beatitudine extorrem præfuisse, quod est absurdum, vt præcedenti capite. monstratum est. Quocirca hic modus reprobationis non opponitur prædestinationi ad gloriam ex parte finis, ad quam dirigitur, sed ex parte tantum mediorum gratiæ, quæ prædestinatis conceduntur, reprobis autem negantur, non tamen contraria intentione, scilicet excludendi eos à regno. De hoc modo reprobationis intelligi potest illud ad Rom. 11.

Non repulsi Deus plebem suam, quam præfuit: hoc est, non repulsi à gratia sua partem illam partem populi Israelitici, quam sibi delegit, sicut repulsi reliquam multitudinem eiusdem populi, quousque plenitudo gentium in Ecclesiam intraret, nam reliquis hoc est pauci, per electionem gratiæ saluæ facti sunt. Contra vero multi eorum à gratia Dei repulsi, & eiectionis. Alia autem loca Scripturæ, si de reprobatione intelliguntur, in significatione Scholasticorum, non de reprobatione à prima gratia, sed de reprobatione à gloria, vel ab ulteriori aliqua gratia, accipienda sunt, vt statim dicemus. Huius ergo reprobationis non video aliam esse causam communem, præter peccatum primi parentis. Nam cum peccatum originale in multis etiam reprobis gratia Dei deleatur, non potest illud esse causa reprobationis à gratia; bene tamen peccatum commune primi parentis, vt cap. 3. obferuati.

In hanc sententiam consentiunt nobiscum doctores secundæ opinionis. excepto Corduba, quatenus asserunt, neminem ante opera præuisa exclusum fuisse à beatitudine. Reprobationis autem à gratia, quam ipsi permissam appellant, non dari causam ex parte ipsius reprobati. Neque enim negant, peccatum Adami sufficientem esse causam illius. Hic tantum in eorum sententia mihi non probatur, quod asserunt circa negationem gratiæ congruæ, & permissionem peccati, Deum se habuisse negatiue, id quod cap. 2. impugnatum est. Doctores quoque primæ sententiæ in hunc sensum possemus interpretari. Neque enim vllus dixit, ante præuisum peccatum Deum decreuisse eicere aliquem à beatitudine. Quare forsitan loquuntur de reprobatione à prima gratia: & ideo dixerunt, reprobationis effectum incipere à prima permissione.

Hoc modo reprobare idem est, quod non misereri: & non misereri, vt notauit Augustinus lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. idem est quod obdurare apud Apostolum cum ad Rom. 9. dicit: *Cuius vult: miseretur, & quem vult indurat.* Huius autem nulla ex parte indurati causa est, præter peccatum primi parentis sumpta obduratione à prima permissione, nam si de aliis permissionibus loquamur, quibus post multa commissa peccata aliquis à Deo deseritur, ex parte ipsius derelicti priora peccata sunt causa posterioris obdurationis. Augustin. vero eo loco hoc discrimen constituit inter misericordiam, qua Deus largitur congruam vocationem, & obdurationem, quæ oritur ex gratiæ negatione; quod, licet ratione vocationis præuenientis Apostolus dicat, *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*; scilicet opus ex gratia profectum, quia solius Dei fuit, ita vocare, vt moueretur voluntas, & faceret: dici tamen non potest, *Non est volentis, & contemnentis, sed Dei obdurantis*, quia Deus non præuenit nos, vt peccemus, & deteriores simus; sicut præuenit, vt simus meliores, & vocationi consentiamus: sed tantum à Deo non errogatur (inquit Augustinus) aliquid, quo simus meliores, quando scilicet negatur congrua vocatio, qua recte operaremur, & peccato non consentiremus. Huius tamen reprobationis in Dæmonibus nulla alia causa fuit, quam voluntas Dei: nam primam permissionem nullum peccatum præcessit in ipsis, aut in aliis, quod illius causa esse posset.

Secundo

Hic sententia consentiunt multi.

23.

Cuius obduratiōnis non desunt causæ ex parte indurati.

24.

Cur opera gratiæ sint Dei misericordie peccata vero non sint Dei contemnentis ex Augustino.

Reprobatio-
nis, quæ est e-
iectio à regno
datur causa
ex parte re-
probi.

Patres expli-
cantur.
Fulgent.
Concilium
Valentin.

25.
Consonant
Scripturæ
testimonia.

Eccles. 9.

1. ad Cor. 9.

2. ad Tim. 3.

1. ad Cor. 1.

26.

Confirmatur
primo ex eccl.
Valent.

August.
Fulgent.

Secundo si de reprobatione loquamur, quare-
nus prædestinationi opponitur ex parte finis, qua
videlicet homo, vel Angelus in æterna præscien-
tia excluditur à regno, habet causam in ipso re-
probo, peccata scilicet, in quibus vitam finit.
Quare hæc reprobatio non incipit à prima per-
missione, & negatione gratiæ, sed ab ipsa destina-
tione, qua quis ex peccatis præiudis excluditur à
regno, & æternis cruciatibus mancipatur. De
hac frequentius loquuntur Patres, cum de præ-
destinationis contrario sermonem habent. Hanc
appellant Fulgentius, & Concilium Valentinum
sub Lothario Imperatore prædestinationem ad
mortem, nempe secundam huius autem causam
esse peccata, in quibus homo usque ad mortem
perseuerat, contra recentiores: quos superius com-
memorauimus, facile probari potest.

Atque in primis, si locis Scripturæ præced. ca.
allatis, vox reprobus, aut reprobo, usurparetur in si-
gnificatione apud Scholasticos vitata, cum de
reprobatione disputant, abique dubio ex illis col-
ligeretur, reprobationis esse aliquam causam. Il-
lud enim Ecclesiast. 9. causam indicat reprobatio-
nis, cum dicit: Speciem mulieris multi admirati: &
1. ad Cor. 9. cum Paulus dicat, se castigare
corpus suum, ne reprobus efficiatur, intelligit
peccata, quæ alioquin committeret, nisi corpus
suum cogeret, fore causam suæ reprobationis.
Quod vero 2. ad Timoth. 3. dicuntur aliqui re-
probi circa fidem, causa ibi ponitur manifesta,
cum dicitur, Corrupti mente. Verum in his locis,
& aliis has voces non usurpari in ea significatione,
sed reprobum idem esse, quod improbus, & vi-
tiosus, ca. præced. notauimus. Prima autem ad Cor. 1.
ponitur verbum, reprobo, & denotat improbare, aut
damnare, cum dicitur: Perdam sapientiam sapientium,
& prudentiam prudentium reprobo. Sed ibi non signi-
ficat reprobationem, de qua modo disputamus.
Quod si de illa Paulus loqueretur, quam Deus
reprobabit, est sapientum huius seculi, qui in flatu
sensu carnis suæ, Dei sapientiam stultam existi-
marunt. Hanc ergo Deus reprobabit, id est con-
demnabit, conuincens eos stultitiam cum per Eu-
angelij prædicationem, quæ ipsis stulticia vide-
batur, saluos faceret credentes.

Omissis ergo testimoniis Scripturæ probatur
ex Patribus hæc nostra sententia, primum ex Con-
cilio Valentinum sub Lothario Imperatore cap. 3.
vbi sic dicitur: Fidenterque fateamur, prædestinationem
electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad
mortem: in electione tamen saluandorum misericordiam
Dei præcedere meritum bonum: in damnatione, vero peri-
tutorum malum præcedere iustum iudicium Dei: vbi duas
prædestinationes ex parte finis inuicem opposuit.
Illius autem, quæ est impiorum ad mortem, dixit
causam esse meritum, & peccatum proprium. Neque
vero solum loquitur de destinatione ad penam
sensu, quam omnes fatentur esse ex præuisione
peccati, sed & de morte secunda, quæ est damna-
tio, & præcipue in priuatione beatitudinis posita
est. Addit deinde Concilium, prædestinatione ea
tantum Deum statuisse, quæ gratuita misericordia,
aut iusto iudicio ipse erat facturum. Quam senten-
tiam sumpsit ex August. lib. ad articulos sibi falso impo-
sitos, art. 11. aut potius ex Prospero, qui iure ci-
datur auctor illius libri: & est apud Fulgentium li-
bro 1. ad Monimum cap. 13. sentit ergo, nihil in præ-

destinatione malorum fecisse, quod iusto iudicio
non erat facturum: cum igitur ab æterno aliquos
expulsi Deus à beatitudine, iusto iudicio, ac pro-
inde propter culpam ipsorum ita prædestinavit:
hanc enim causam postulat iustum iudicium.

Secundo probatur ex Augustino lib. 6 Hypognost. secundum
paulo post initium, vbi ita scribit: Quia vero la-
stus, & misericors Deus, præscitque futurorum, ex hæc
damnabilis massa non personarum acceptione, sed iudicio
aquitatis suæ, quos præscit misericordia gratuita præpa-
rat: id est, prædestinat ad æternam vitam, ceteros autem
pena punit: quos ideo punit, quia quid essent futuri, præ-
scit, non tamen ipse fecit puniendos, vel prædestinavit.
Et paulo post medium de paruulis, & adultis in-
quit: Tenenda est inconcussa huius disputationis regula,
quæ diuini testimonij claruit, peccatores in malis propriis
antequam essent in mundo, præscitos esse tantum non præ-
destinatos (intelligit ad peccatum) ipsam autem esse
eis prædestinatam, secundum quod præsciti sunt. Paru-
los quoque non renatos prædestinata pena esse obnoxios,
qui præsciti sunt, non propriis voluntatibus, nisi tantum
in Ade peccato, quod traxerunt nascentes, & in hoc ma-
nentes soluerunt tempus vite præsciti. Cum dicit Au-
gustinus, penam ex præscientia peccati fuisse à
Deo prædestinatam, non solum hoc de pena
sensu, sed de maxima omnium intelligit, quæ est
priuatione beatitudinis; si quidem eam inquit, paru-
ulis fuisse prædestinatam ex præscientia peccati
quod contraxerunt, & in quo vitam finierunt.
Cum vero asserit, Deus non facit homines puni-
endos, nec prædestinat, intelligit, ex se sine
causa præiudici, quod si ex se ante præscientiam
peccati decerneret hominem excludere à vita æ-
terna, faceret ipsum puniendum, & ad summam
penam, & secundam mortem ipsam ex se desti-
naret. Deinde libr. 1. ad Simplicia. quæst. 2. post
medium, habet hæc verba: Noluit ergo Esau, & non
cucurrit: sed & si voluisset, & cucurrit, Dei adiutorio
peruenisset, nisi vocatione contempta fieret reprobus. Sen-
tit ergo causam, ob quam reprobus effectus fuis-
set, si non cucurrit, eam esse, quod vocationem
contempnisset; ac proinde causa reprobationis
illius fuisse peccatum.

Tertio eadem sententia colligitur ex Prospero. Tertio
ro primum ex libro ad capitula Gallorum cap. 3. præced.
vbi inquit: Quod ergo huiusmodi prolapsus hoc mala
sine correctione penitentia descenderunt non necessitatem
pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt, sed ideo
prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria
præuocatione præsciti sunt. Idem dicitur libr. ad capi-
tula Gallorum ad obiectionem 7. & circa finem
in sententia 7. vt referam infra cap. 9. Non præ-
destinatos, appellat reprobos, vel ad mortem se-
cundam destinatos; & causam, dicit esse propriam
præuocationem. Neque enim hic auctor intel-
ligere potest per non prædestinationem, nega-
tionem omnis gratiæ congruæ à primo auxilio
usque ad vltimum, huius enim nulla datur cau-
sa, sicut nec prædestinationis, in sententia huius
doctoris, quem pro sententia Aug. disp. 91. ca. 11.
allegauimus: vel saltem causa huius non præde-
stinationis in illius opinione non est propria præ-
uocationis, sed communis culpa primi parentis, vt
supra explicatum est, & ad obiectiones Vincen-
tianas respondit, dicit, Deum non prædestinare
peccatum, sed iudicium, quo retribuitur erat v-
nicuique secundum opera ipsius, vbi prædesti-
nationis ad penam, & iusti iudicij causam con-
cedit.

cedit, cum ait, retributurum Deum unicuique secundum opera.

Quarto in eadem sententiam allegari potest *Augustinus libr. 1. ad Monim. capit. 13. 14. 19. 24. & 27* ubi prædestinationi hominis ad vitam opponit prædestinationem hominis ad mortem, non ad primam, quæ est peccatum, sed ad secundam, quæ est supplicium, qualis est privatio perpetua beatitudinis.

Postremo oratione eandem opinionem sic confirmo. Si reprobationis, quatenus est prædestinationis ad mortem secundam, & ad privationem beatitudinis, non esset causa ex parte nostra, eo esset, quia illa inciperet in nobis à prima permissione peccati, hoc est, à prima negatione vocationis congruæ, & efficacis, cuius nulla ex parte nostra assignari potest causa, præter communem, quæ fuit peccatum primi parentis: prima autem illa permissio non pertinet ad hanc reprobationem, quoniam cum non sit ex intentione excludendi à regno celorum, ut cap. præced. monstrauimus efficitur, non fuisse ad hunc finem à Deo prædestinatum. Quare, dum permittit Deus aliquem labi in peccatum vel gratiam suam efficacem ei denegat, non reprobatur aliquam, ut ita dicam, à beatitudine, nec ab ea reicitur, sed tantum à gratia sua. Nam licet ex tali permissione homo peccaturus sit, & propter peccatum excludendus à regno celorum; tamen pro eo dumtaxat instanti, quo Deus permittit, aut denegat gratiam congruam, non intendit, nec præfinit, tali medio à beatitudine illum expellere. Quem autem alium finem habeat, in solutione argumentorum dicemus. Idem omnino de reprobatione Dæmonum in hac secunda significatione censendum est: ratio enim, quam proxime fecimus, idem de dæmonibus, atque de hominibus probat.

CAPVT VI.

De causa reprobationis paruulorum quid sentiendum sit.

EX iactis fundamentis in ca. 4. & 5. facile colligitur, qui de reprobatione paruulorum dicendum sit, seruata eadem proportionem, qua de adultis loquuti sumus. Itaque si de reprobatione loquamur, qua quis reicitur à gratia Dei, in paruulis ipsi, qui peccatum originale contraxerunt, nulla omnino suæ reprobationis causa fuit: nihil enim in ipsis potuit esse peius, quam ut Deus denegaret illis gratiam suam: ex quo factum est, ut peccatum contraheret originale. Cæterum huius reprobationis vera causa fuit peccatum commune primi parentis, cuius merito peccatum introiuit in omnes, excepto Christo Domino, & B. Virgine: præter hanc autem causam nulla alia fuit, nisi voluntas Dei, id quod nemo inficari potest. Si vero de reprobatione, qua quis à beatitudine expellitur, sermo sit, non nulli existimant non eodem modo de omnibus paruulis philosophandum esse. Sunt enim quidam, qui non solum peccatum originale contraxerunt, verum etiam quibus nullum remedium humana diligentia potuit adhibere, diuina providentia ita disponente, ut disp. 97. videmus. Hos ergo putant in Dei præscientia excludi à regno celorum, non post contractum ab ipsis peccatum originale, sed statim post præuissum peccatum primi parentis, ita ut post illud non habuerit Deus adhuc voluntatem antecedentem

perducendi eos ad vitam æternam, aut liberandi eos à peccato, quam erga omnes habuit ante peccatum primi parentis. Nam si eo præuissio statuit Deus quibusdam ita negare remedia salutis, ut nulla humana diligentia eis possent adhiberi, eo ipso non voluit voluntate antecedenti eos saluare, inde enim colligimus Deo esse voluntatem simpliciter saltem complacere perducendi hominem ad aliquem finem, quia præparat ille media sufficientia, quibus ipse possit uti, aut alius pro eo ad illum finem. Si vero ipsi præcludat aditum, ita ut humana industria, & diligentia, media ad illum finem non possint applicari, qua ratione credemus, voluisse Deum talem hominem ad illum finem perducere? Quamuis ergo Deus ex se ipso ante omne peccatum velit omnibus beatitudinem voluntate illa primaria, & antecedenti, præuissio tamen peccato primi parentis, & voluntate consequenti talem præuissio, iam non voluit gloriam illis, quibus nec concessit aliquo modo posse applicari remedia, sed voluntate consequenti peccatum primi parentis, voluit eos omnino à regno excludere.

Ego vero censeo horum reprobationem in secunda significatione factam fuisse statim post peccatum primi parentis: permissionem quoque contrahendi originale peccatum in se ipsis fuisse effectum huius reprobationis, hoc tamen ordine; ut statim post præuissum peccatum Adæ non decreuit Deus decreto efficaci, excludere illos à regno celorum, sed simplici solum affectu Deo placuerit propter peccatum primi parentis eos beatitudine priuare, & dupliciter voluntate consequenti peccatum primi parentis gloriam illis conferre, quibus ex se ipso ante præuissum peccatum voluntate antecedenti gloriam desiderat, ex hoc vero simplici complacencia eos puniendi, in sequenti instanti permisit, absque remedio ipsos labi in peccatum originale: & in tertio efficaciter decreuit, illos à regno beatitudinis excludere. Ex quo sequitur, permissionem contrahendi originale peccatum, & in eo moriendi, esse effectum reprobationis eorum hoc modo acceptæ: cum tamen permissio cadendi in actuale peccatum in adultis non sit effectus reprobationis hoc modo acceptæ. Ratio vero discriminis est, quia, ut permissio cadendi in peccatum sit effectus reprobationis, debet esse ex aliqua intentione excludendi ipsum reprobatum à beatitudine; hæc autem non fuit circa adultos ante permissionem peccati, & ideo permissio non est effectus reprobationis: fuit tamen circa paruulos, ut iam diximus, & ita si ex illa permisit Deus, eos labi in peccatum, talis permissio, quatenus à Deo, est effectus reprobationis eorum.

Ideo autem non concedimus, voluntatem efficacem excludendi paruulos à regno, ante præuissum originale peccatum, quia sequuntur aliqua incommoda, quæ disp. 89. intulimus contra asserentes. Deum decreuisse, aliquem ante præuissum meritum gratiæ beare. Sequeretur ergo primum in reprobatione paruulorum voluntatem illam efficacem excludendi illos à regno, statim post præuissum Adæ peccatum, effectum alioqui habituram, etiam si puer ille postea baptizaretur, & Deus illi remedia contra originale efficaciter applicaret: id quod eodem modo probandum est, quo cap. 10. illius disputationis ostendimus, illum qui efficaciter

Ratione probatur.

31.

Permissio contrahendi originale fuit effectus reprobationis paruulorum.

32.
Cur peccatum originale sit effectus reprobationis actuale non item.

Deus non voluit efficaciter excludere paruulos à regno ante contractum peccatum originale.